



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

124. An ad validam præsentationem requiratur, ut fiat per patronum corporaliter præsentem habenti instituere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 124. Num ad validam praesentationem requiratur, ut fiat per patronum corporaliter praesentem habenti instituere?

Respondeo negativè: sed sufficit facere praesentationem medio procuratore, vel missis literis. Castrop. loc. cit. num. 5. & apud illum Tusch. l. 3. conclus. 592. num. 24. Barb. p. 3. de potest. Episc. alleg. 72. num. 116. juxta clarum textum c. ea noscitur. de his, quae sunt à prael. Porro hoc intelligendum de constituto procuratore, postquam vacavit beneficium, an enim, & qualiter, & in quibus casibus constituitur possit procuratorem, antequam vacet beneficium, in ordine ad praesentandum, & valeat per eum facta praesentatio, dictum fuit supra.

Quaestio 125. Num ad validitatem praesentationis requiratur, ut praesentandus corporaliter exhibeatur, & sistatur praesens habenti instituere?

1. **R**espondeo negativè: potest enim institutori validè praesentari per literas, vel procuratorem à patrono, vel à seipso: ita absolutè docent Castrop. loc. cit. num. 6. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 6. Card. Luca de jurep. d. 64. n. 30. citans Lap. alleg. 75. contra Abb. in c. ea noscitur. Corrad. l. 4. c. 2. num. 1. & seq. Lott. l. 2. q. 6. num. 33. & 34. Garciam p. 4. c. 1. num. 16. Lamb. l. 2. q. 11. a. 2. Barb. p. 3. de potest. Episc. alleg. 72. num. 110. Zerol. v. jusp. § 7. Tusch. l. B. conclus. 191. Corrad. p. 4. c. ult. num. 18. & alios, quorum sententiam communem dicit Castrop. è quibus tamen plerique, ut Abb. p. 2. consil. 70. Garc. loc. cit. num. 8. & 25. Barb. loc. cit. num. 118. Lamb. Zerol. admittunt, valere praesentationem absentis, si eam admittat Ordinarius, seu habens instituere (etiam cum clausula: *salvo jure alterius*: vel etiam, si eam non rejiciat: hoc ipso enim censetur admiffa. Lott. num. 43. & 44. citans plures Rot. decis. non tantùm ubi absentis qualitas, seu idoneitas ei nota esset, sed etiam, ubi is ei ignotus est, nisi quòd Barbofa excipiat, praesentatum ad parochiales, eò quòd tunc examen praesentati sit de forma: Quin & eorum aliqui doceant simpliciter, valere absentis praesentationem; dum is notus est habenti instituere; ut Lott. loc. cit. num. 37. citans Abb. & Lamb. intellige, eà notitià, quae concludat ad idoneitatem, ut non egeat examine. Lott. num. 40. Qualis notitia praesumitur in Ordinario ex eo, quòd praesentatus sit diocesanus, juxta Rotam in *Amerina juris patronatus*. 17. Novemb. 1614. Quod et si sibi durum videri, dicat Lott. num. 41. putat tamen hanc praesumptionem praevaleare, si concurrat talis praesentationis admiffio, eò quòd, dum habens instituere talem admiffit, praesumatur habere sufficientem notitiam absentis. Verùm valere praesentationem absentis, etiam independentè ab admiffione Ordinarii, & notitia praesentandi, bene probat Castrop. ex eo, quòd nullus juris textus hanc corporalem praesentiam praesentandi requirat pro praesentatione; sed ad summum pro institutione; cum nequidem aliàs praesentatio absentis, etiam admiffa ab Ordinario, valeret. Hinc ex eo, quòd Trid. sess. 24. c. 18. decernit praesentatum admitti non debere, nisi ab Ordinario examinatus & idoneus repertus fuerit, id necessarium sit, non tantùm in parochialibus (in quibus de forma & substantia est dictum examen) sed etiam in simplicibus, non infertur, dictam praesentiam praesenta-

tioni, sed institutioni faciendae necessariam esse, ut rectè notat Garc. cit. num. 25. Quin &, si ad valorem praesentationis jura exigerent hanc praesentiam, jam nequidem Ordinarius, etsi vellet, posset validè (quòd docent supradicti AA. & praeter eos Riccius in *pr. resol.* 139. & 141. Innoc. in c. in Lateranensi. de praebend. &c.) saltem dum is cognitus est, admittere praesentationem absentis; quia ea de jure est invalida. Castrop. num. 6. Tamen autem detur verbum illud: *repraesentent*; quo utitur textus. c. cum & plantare. de privileg. denotare corporalem praesentiam (ut probant plures textus juris civil. l. consentaneum. c. quomodo & qualiter iudex; & l. i. ff. de verb. oblig. & tradit Gl. *repraesentare*, in Clem. dudum. de sepulcr. Tiraq. de jure mariti. gl. 6. num. 31. Selv. p. 3. q. 6. num. 7. &c.) adhuc non significare praesentiam corporalem praesentati, sed procuratoris per ipsum. Castrop. cit. num. 6. Idem dici posset de verbo illo: *exhibitio*, dum definitur praesentatio, esse exhibitio personae facta per patronum Episcopo; quamvis non minùs rectè dicatur quoque persona praesentanda exhiberi mediis literis, vel procuratore eam repraesentante. Porro si valida est praesentatio absentis, & aliunde nihil obstat, non video, cur in libertate Ordinarii, seu habentis instituere sit, eam non admittere, cum possit praesentatum ad examen vocare, aut curare examinari, & disquirere de ejus idoneitate, antequam eum instituat.

2. De cetero non attendi istam absentiam, dum pro institutione, seu provisione faciendae recurrit ad Papatam (eò quòd subit aliquid impedimenti, v. g. defectus aetatis, vel qualitatis requisitae in praesentando à fundatore, super quo Ordinarius non potest dispensare instituendo talem praesentatum) sed satis est, constare tunc de consensu patroni (qui etiam consensus patronorum praestitus provisionibus Apostolicis habet vim praesentationis; quin & sufficit ad acquirendam quasi possessionem praesentandi, ut Corrad. in *pr. benef.* l. 4. c. 2. num. 7. & 8. juxta plures decis. Rot. quas citat) docet idem Corrad. *ibidem*. ex Lott. Aditque num. 9. quòd quando absens potest praesentari, posse patrem pro filio, fratrem pro fratre, consanguineum pro consanguineo, amicum pro amico, cum promissione & cautione de rato petere praesentatum institui, & causam institutionis prosequi, & institutionem obtinere: si tamen praesentatus tanquam notus non egeat examine; citatque pro hoc Vivian. in *pr. jurispr.* l. 11. c. 1. n. 3. & 4.

Quaestio 126. In qua forma debeat fieri praesentatio, an scripto, an per libellum, vel oretenus certà formà verborum?

1. **R**espondeo: non requiri, ut fiat per libellum penes acta Judicii, neque ut fiat per scripturam publicam, seu instrumentum publicum; sed fieri potest per scripturam privatam; imo per literas familiares, & absque omni scriptura oretenus. Card. de Luca, de jurep. d. 64. num. 21. & 23.

2. Neque certa verborum forma requiritur, modò sufficienter exprimatur voluntas actualis, quae actu praesentetur. Card. Luca *ibid.* Porro ubi uteretur patronus verbis potius velleitatem, quam perfectam dispositionem ac determinatam voluntatem significantibus, v. g. dicendo: *volo praesentare Titium*: vel *nomino Titium in praesentandum*: vel *praesento Titium*, non exprimendo, ad quid. Card. Luca